Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1023
Quelle:
Copyright:

Tum demum ad *Remigium* ſuum redit, poſtque alia rogat: *Mutuiter Tui Friderici ſis amans. Errores corrige obſecro ſi quos ob ſcripturę meę et ſtili ineptias intercalatos repereris.* Tractatus Polemicus de diverſis Nominibus Corporis Chriſti in Sacramento. In illud *Pſ.* VIII. *Domine dominus noſter quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra.* Poſt XIV. *Nomenclaturam* abrumpitur. Notata in locum *Pauli ad Rom.* III. *Arbitramur enim iuſtificari hominem per fidem* &c. Denique Fragmentum Sermonis *de Purificatione B. V.* et de *S. Martino.* Nihil hic Enumeratorum tangit laborioſiſſimus Antiſtes noſter in *Catalogo Lucubrationum* ſuarum, qui *Epiſtolis* ad Ipſum datis adhaeret, *Baſileae* 1550. *fol.* 475. f. Non inutilia tamen forent ei, qui de Actis et Scriptis Viri pro merito tandem tractare vellet, ad quam rem non ſpernendam συμβολὴν paravi in *Hiſtoria Typogr. Viennenſi.*

CCLXXXI. VIII A. 15

Codex membraneus lat. Sec. IX. Folior. 48. f. max. probe ſcriptus et bene conſervatus exhibet *Magnentii Hrabani Mauri* Monachi primum Fuldenſis, dein Moguntini Archiepiſcopi a. 856. 4. Febr. humanis exemti *Libros II. de Laudibus Sanctae Crucis.* Initium facit *fol. 1. pag. averſa* ſequens Hexaſtichon, quod in nullis hactenus Operis hujus editionibus legitur, litera quadrata ſcriptum: 39

Accipe ſancte Pater Otgari *ſumme Sacerdos*
Librum quem dudum mente dedi et calamo
Qui laudem Chriſti reſonat Crucis ardua facta
Munere quae Chriſti dona beata dedit
Deſtruxit mortem vitam conceſſerat almam
Et genus humanum reddidit artifici
Hoc opus ergo tuus Deceſſor ſemper amandus
Expetit Haiſtolfus *cui quoque hoc dederam*
Sed quia hic clauſtra ſuperavit carnis ovando
Et voltum Chriſti cernere ſemper amat
Tu modo ſuſcipias teneas ac rite fruaris
Artificem uilem rite tuendo prece.

Fol. ſeq. averſo rudi pictura expreſſus eſt fortaſſe hic ipſe *Otgarius* Archiep. Moguntinus *Hrabani* praeceſſor cultu pontificio ſedens, dextraque bene precans *Hrabano* ſibi librum offerenti, cujus humero manum imponit pone adſtans cano capite *Albinus* ſive Alcuinus *Hrabani* magiſter. Capitibus illorum manus paullo recentior inſcripſit: *Otgarius epiſcopus maguntinus. Rabanus maurus. Albinus abbas.* Picturam excipit elegiaca *Interceſſio Albini*

pro